



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXXVI. Contra vana hominum iudicia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

tationes varias, magnasque defolationes.

Sed patienter sustinuerunt se in omnibus, & magis confisi sunt Deo, quam sibi, scientes: quia non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam promerendam:

Vis tu statim habere, quod multum post multas lacrymas, & magnos labores vix obtinuerunt?

Expecta Dominum, viriliter age, & confortare: noli diffidere; noli discedere: sed corpus & animam expose constanter pro Dei gloria.

Ego reddam plenissime: ego tecum ero in omni tribulatione.

CAPUT XXXVI.

Contra vana hominum iudicia.

I. **F**ili, iacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas iudicium, ubi te conscientia pium reddit & infontem.

Bonum est, & beatum taliter pati, nec hoc erit grave humili cordi, &
Deo

Deo magis, quam sibi ipsi confidenti.

Multi multa loquuntur, & ideo parva fides est adhibenda.

Sed & omnibus satis esse, non est possibile.

Et si Paulus omnibus studuit in Domino placere, & omnibus omnia factus est: tamen etiam pro minimo duxit, quod ab humano die iudicatus fuerit.

2. Egit satis pro aliorum ædificatione & salute, quantum in se erat & poterat: sed ne ab aliis aliquando iudicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit.

Ideo totum Deo commisit, qui totum noverat: & patientia ac humilitate contra ora loquentium iniqua, aut etiam vana ac mendosa cogitantium, atque pro libitu suo quæque jactantium se defendit.

Respondit tamen interdum, ne infirmis ex sua taciturnitate generaretur scandalum.

3. Quis

3. Quis tu, ut timeas a mortali homine? Hodie est, & cras non comparet.

Deum time, & hominum terrores non expavesces.

Quid potest aliquis in te verbis aut injuriis? Sibi potius nocet, quam tibi; nec poterit iudicium Dei effugere, quicumque est ille.

Tu habe Deum præ oculis, & non li contendere verbis querulosis.

Quod si ad præsens tu vidêris succumbere, & confusionem pati, quæ non meruisti, ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam.

Sed ad me potius respice in cælum, qui potens sum eripere ab omni confusione & injuria, & unicuique reddere secundum opera sua.

CAPUT XXXVII.

*De pura & integra resignatione
ad obtinendam cordis libertatem.*

I. **F**ili, relinque te, et invenies me.